

fr. Titium accusatorem, eumque monuit, ut, si quid forsitan contra processum defensivum proponere haberet, id in tempore faceret. Accusator autem his oretenus perceptis statim rogavit, ut eidem prius communicarentur acta, quatenus videre possit, an, et quid adhuc in causa expediat. Cui illico deferens A. R. P. provincialis mandavit mihi, ut permitterem actorem lustrare acta, et volenti etiam authenticam copiam actorum, juxta petitionem ipsius darem, assignato quatuor dierum spatio, intra quod proponenda proponat. Acta sunt hæc die, mense, anno, loco. » — Ego fr. N. minister provincialis. Ego fr. N. actuarius.

Dein describit actuarius, vel describi facit acta (vel si actor contentus est, brevitatis causa permittit ipsum lustrare originale), eaque prius debite collationata, et authenticata præsentat accusatori, vel denunciatori, aut advocato fiscali (si processus per viam inquisitionis fabricatur) et præsentationem registrat; ut sequitur.

« Anno, mense, die; per me actuarium fr. Titio accusatori præsentata fuit copia actorum de verbo ad verbum collationata, et authenticata, et assignatus terminus pro respondendo indicatus eidem, qui reservatis sibi de jure reservandis accepit, et gratias egit. In quorum fidem, etc. » — Ego fr. Titius accusator. Ego fr. N. actuarius.

471. *Quomodo accusator, vel denunciator, aut advocatus fiscalis, ad defensiones rei respondere, eaque impugnare debeat? Forma hujus practica.* — Porro sive accusator, sive advocatus fiscalis pro justitia vindicativa respondet, et defensiones impugnat, debet in modo respondendi idem fere observare, quod supra n. 460, diximus de patrono; hac tamen cum distinctione, ut sicut hic pro reo, ita ille contra reum et defensiones ejus pro justitia vindicativa, quidquid potest, proponere debeat. In casu nostro accusator contra reum, et defensiones illius ita respondit.

In nomine Domini, Amen. — AA. RR. Patres de V. diffinitorio, officio suo debita cum reverentia et obedientia intra terminum sibi assignatum satisfactorius comparet fr. Titius, et contra reum ac defensiones illius pro justitia vindicativa respondet, quod etsi offi-

cium judicis exigit ut iudex pro reo indaget, et faciat, quæ pro rei favore servire possunt, ac propterea etiam tenuitatem patroni supplere debeat; tamen idem iudicis officium etiam requirit, ut pro justitia vindicativa quoque omnibus viribus vigilet et laboret, indeque deiectum et tenuitatem actoris, vel advocati fiscali in his saltem, quæ juris sunt, suppleat; ne alias delictis manentibus impunitis, alii liberius peccent, scandala crescant, mala invalescant, magno cum præjudicio, imo et ruina monasterii, provinciæ, et religionis. Religionem enim, in qua delicta manent impunita, ruinæ proximam, et actu jam miseram, malamque esse, bene observat doctor noster seraphicus sanctus Bonaventura afferens distinctionem inter bonam et malam religionem dicendo, hanc ab illa discerni non ex eo, quod etiam in bona religione non fiant aliqua mala, sed quia in hac, mala non manent impunita. Accedit, quod ubi superiores delicta non puniunt, Deus ipsos, et integras communitates punire soleat. Quapropter non minus ac patronus rei confido in nota æquitate et justitia AA. RR. Paternitatum vestrarum præsertim A. R. P. provincialis tanquam iudicis ordinarii, minime dubitans, eos majorem habituros respectum pro bono communi, quam unius privati præsertim, qui reus et quidem malitiosus liquido apparet. Nec enim pro illo quidquam faciunt defensiones a patrono illius allatæ, quibus ostendere frustra nititur, delicta principalia, in quibus reus fuit accusatus, nec semiplene esse probata, consequenter reum esse absolvendum, et accusatorem esse ad pœnam talionis condemnandum.

» Nam contra est, quod ex actis evidenter appareat, delicta principalia, si non plene, saltem plus quam semiplene esse probata, et per consequens, si non ordinaria, saltem extraordinaria pœna reum affici, vel torqueri posse, accusatorem vero ab omni pœna immunem esse; cum juxta vulgaria juris etiam semiplene tantum probans pœnis talionis, ac calumniæ minime subiaceat juxta communem doctorum et praxin, nostramque criminalem §. *Accusatio*, § 4.

» Quod autem delicta principalia, et imprimis sacrilega furta plus quam semiplene probata sint, patet ex processu offensivo: siquidem de memoratis furtis adest imprimis testis de visu fr. Justus, qui etiam solus jam semiplene probaret; cum unus omni-

exceptione major testis de visu semiplene probet, juxta Gloss. communiter receptam in l. 3, c. *de Reb. credit.* §. *decidi oportet*, per jura ibidem copiose allegata.

» Nec obest, quod contra illum tanquam præsumptum ex facta vulneratione inimicum, et consequenter inhabilem excepti patronus; tum quia testibus actor fr. Justus sacrilega furta de fr. Mævio, superiori jam manifestavit, antequam a fr. Mævio vulneratus, et inde ex præsumptione inimicus illius factus erat; tum quia etiam post vulnerationem amicus illius permansit, et realem amicitiam erga illum exhibuit, rogando pro illo apud iudicem, ne ob vulnus sibi inflatum fr. Mævius puniatur; quod verissimum amicitiae signum omnem inimicitiae præsumptionem excludit; utpote quæ semper cedit cognitæ veritati, per vulgaria juris; tum quia simul plura et quidem talia concurrunt indicia, quæ una cum ipso (etsi dato non concessio præsumptus inimicus, et consequenter testis omni exceptione major non esset) si non plene, saltem plus quam semiplene probant.

» Indicia autem sunt primo, confessata clavis regia, seu adulterina, quæ ordinarie furem indicat.

» Secundo, quod in locis furti, in ecclesia scilicet, et sacristia januis clausis tempore nocturno, et quidem importuno, ac solus fuerit deprehensus.

» Tertio, quod per duos testes omni exceptione majores plene probatum existat, res furtivas fuisse visas apud puellam Bibianam, cum qua suspectissimum consortium fr. Mævius habet, et quæ altera die negavit, quod a duobus visum est; quod ipsam puellam plene suspectam reddit.

» Quarto, effractio carceris juncta fugæ rei grave indicium facit.

» Quinto, furtum præfatum clare indicant litteræ a reo ad Bibianam scriptæ, prius sæpius perjure negatæ, postea cum confusione confessatæ; hæc enim, quia expresse continent fr. Mævium misisse Bibianæ aliqua, ratione quorum, si manifesta fierent, perpetuos timet carceres, quod aperte indicat, ipsum misisse res furtivas, et quidem tales, quarum furtum, sicut apud sæculares mortem, sic apud regulares perpetuos carceres inducit; monilia nempe, et calices, quos sacrilege ablatis fr. Justus in cella fr. Mævii vidit, et ex ore ejus audivit, ac quos duo alii in domo Bibianæ, cui fuerant missi,

per propriis oculis conspexerint, quæ gravissima indicia sunt, juncta et uni testis de visu conjuncto plenam probationem facere videntur, vel certe probationem plus quam semiplenam efficiunt; præsertim quia scriptura propria confessata plene probat contra scribentem. *L. Publica*. §. *fin. ff. Depositi. Cum concordant.* Ac indicia simul juncta præsertim gravia inducunt præsumptionem juris.

» Pariter plus quam semiplene probata existit vulneratio; dictum enim ipsius vulnerati, effractio carceris per reum facta, et fuga ejusdem, necnon clamor fr. Justus, quod actu reum apprehenderit, utique plus quam semiplene vulnerationem probant.

» Effractio carceris denique violenta ex propria confessione rei, consequenter optime probata habetur; cum propria confessio sit optima probatio per vulgaria juris.

» Ex quibus cunctis patet, quod si reus ratione furtorum sacrilegorum, et vulnerationis non ad pœnam ordinariam, saltem ad extraordinariam condemnari, vel pro veritate adhuc magis eruenda torqueri valeat.

» Ratione autem violentæ effractionis carcerum, utpote confessata reum ordinaria pœna effici debere, dubio caret. Et quia sola violenta et injusta carcerum effractio de jure civili pœna capitis, consequenter apud regulares perpetuis carceribus punitur, absque ulteriori processu reus ad eosdem condemnandus videtur, non obstante, quod patronus in defensionibus dicat, reum injuste carceratum, carceres juste effregisse; quia ex dictis evidenter patet, carcerationem hujus rei fuisse justissimam. Et quamvis AA. RR. Paternitatibus quidquam præscribere nullatenus præsumam, tamen pro administratione justitiæ juxta Leges, canones et statuta nostra ex zelo religionis et justitiæ, omni meliori modo insto, salvis, etc. » — Ego fr. Titius accusator.

Hujusmodi responsio ab accusatore, vel advocato fiscali contra defensiones rei data potest (ut patet) et debet magis ex jure deduci et probari. Hic enim brevitatis causa tantum rudem aliquam formulam damus. Casu quo autem actor visis actis nil amplius proponere, sed cuncta justitiæ iudicis relinquere vellet, prout ordinarie fit, et ad processum abbreviandum fieri expedit, si ex processu patet, quod reus jam confessus, vel convictus habeatur, reus, et ipse ein-

actor citantur ad audiendam sententiam juxta dicenda infra a n. 484.

DE TORTURA.

472. *Apud nos sine consilio, et consensu diffinitorii, vel proborum, ac peritorum reus torqueri non potest.* — Oblatis a patrono defensionibus, et contra eas responsionibus actoris, vel advocati fiscalis iudex apud nos illas una cum aliis actis diffinitorio communicare debet, ad audienda consilia, et vota eorum, an, et qualiter torquendus sit reus. Quia in ordine nostro absque consilio et consensu diffinitorii nec reus sententiari, nec torqueri potest, nisi ratio suaserit, ut pro adhibenda tortura loco diffinitorii probi et periti assumantur ex conventu, ubi fit processus, vel vocentur ex vicino uno vel altero conventu. Cujusmodi ratio, et causa esset, si diffinitores essent inexperti in causa criminali, vel pro ac contra affecti reo, aut esset valde incommodum convocare propterea diffinitorium: ob quam ultimam causam in majoribus provinciis ubi patres diffinitorii longe ab invicem sunt separati, ad torturam adhibendam plerumque sufficit consilium proborum et peritorum, qui commodius haberi possunt.

473. *Oblata defensiones, et eorum impugnationes ante torturam communicari debent diffinitorio, vel probis, ac peritis: et quid hi facere debeant?* — Habita copia actorum tenetur quivis ex diffinitorio apud nos, (apud alios, quorum est de jure) loquendo et perpendendo acta videre, an statim et qualiter sententiari, an vero prius torqueri possit, ac debeat. Si statim sententiandus, et non torquendus, utpote jam confessus, vel convictus apparet, debent ante sententiam responsiones actoris, vel advocati communicari patrono rei, ejusque replicatio desuper audiri, et tunc primum sententia ferri, ita ut ultimo audiatur reus seu patronus ejus, ut bene observat Ludovicus de Ameno, in *Praet. criminal.*

474. *Qui jam confessus, vel convictus est de aliquo crimine, ratione illius nequit torqueri. Quinam torqueri valeat?* — Si vero reus nec confessus, nec convictus, et per consequens nec sententiandus apparet, debent illi, quibus competit, (apud nos diffinitorium, vel probi et periti) diligenter examinare processum tam defensivum, quam offensivum, et videre, an, et qualiter possit, aut debeat

torqueri, si ex processu constat, reum jam esse confessum, vel convictum nil in contrarium probantibus defensionibus, torqueri apud nos non potest, hoc ipso, quod exinde condemnari valeat, consequenter tortura amplius necessaria non sit, ut bene habet textus *Practicae nostrae criminal.* tit. *Tortura.* § 6. Si autem non confessus nec convictus existit reus, et tamen semiplena, vel plus quam semiplena adest probatio contra ipsum, torqueri potest leviter vel graviter pro diversitate delicti, juxta cit. *Practicam nostram*, loc. cit. § 5.

475. *Modus torquendi apud regulares quinam usitator.* — Modi torquendi sunt varii; inter quos apud regulares frequentior, et commodior est arctatio rei (ut vocant) quae consistit in repetita flagellatione, propriis manibus rei facienda, ac jejunio in pane, et aqua. Item flagellatio, qua per unum, vel duos alios fratres laicos. Reus omnino nudus solus indutus femoralibus per tria intervalla flagellis, nodosis funibus, aut virgis acutis tot ictibus graviter caeditur, quot iudex determinaverit (quos caedentibus non idem reo prius indicat) quod etiam his vel ter repeti poterit; ut habet textus nostrae *Practicae*, loc. cit., § II.

Debiles autem, infirmi, pueri, et senes sexagesimum annum attingentes apud nos torqueri non possunt.

476. *Ante torturam fit decretum de consulendis illis, quorum interest.* — Ante torturam debet fieri decretum, et inseri actis subscriptum a consultis et consentientibus diffinitoribus, aut probis et peritis, contra quod decretum, si appellat reus, attendi non debet, sed tortura executioni mandari, in actis autem notari, quod reus ad effugienda tormenta appellavit quidem, sed appellatio non fuerit attentata.

477. *Sub tortura notantur omnes actus et gestus rei.* — Sub actuali tortura actuarius notare debet et scribere in actis omnia, quae dicit, vel facit reus in tormentis.

478. *Modus decernendi torturam, et ultimo monendi, ac examinandi reum ante illam.*

« Consequenter A. R. P. provincialis attendens, quod fr. Mævius N. super principali articulo de furto calicum, et monilium nec confessus, nec plene convictus, bene vero graviter indiciatus, et plus quam semiplene probatus appareat, inhærendo constitutionibus ordinis, consilium eorum, quo-

rum de jure adhibere voluit, num et quomodo torqueri debeat reus. Et quoniam eidem summe incommodum videbatur congregare ob causam hanc totum diffinitorium, patribus, per plures distantes conventus, dispersis, vocavit ex hoc conventu M. V. P. N. lectorem theologiae, et ex illo conventu P. N., etc., in re criminali magis expertos, eosque requisivit, ut lustratis et pensatis actis solum Deum præ oculis habentes, suam manifestarent mentem, et præberent consilium, num et qualiter in hac causa locus sit torturae. Acta sunt hæc die, mense, etc. — Ego fr. N. theologiae lector. Ego fr. N. theologiae lector. Ego fr. N. lector jubilatus. Ego fr. N. minister provincialis. Ego fr. N. actuarius.

« Altera die, eodem loco omnes præfati rursus convenerunt, et habita conferentia concluderunt, quod cum testibus actis super principali aliquo articulo, de furto videlicet monilium et calicum, etc., non tantum semiplene, sed etiam plus quam semiplene probatio adsit, eamque non infirmarent defensiones a patrono rei oblatae: delictum vero gravissimum furtum sacrilegum sit satis atrox, reus præmissa adhuc semel gravi monitione, et minis omnino torqueri possit et debeat: et quidem ita, ut per duos fratres laicos virga acuta nudus per tria intervalla graviter caedatur, dando eidem primo intervallo viginti ictus: altera vice, tertia vice, viginti; idque tribus sequentibus diebus pro arbitrio A. R. P. provincialis repeti possit, si in perjura negatione persistat. Acta sunt hæc die, etc. — Ego fr. N. theologiae lector. Ego fr. N. theologiae lector. Ego fr. N. lector jubilatus. Ego fr. N. minister provincialis. Ego fr. N. actuarius.

« Anno, mense, die, loco, volens satisfacere votis patrum peritorum decrevit A. R. P. provincialis fr. Mævium N. reum in rigore constituere, et torquere, prius tamen adhuc monere, et minis terrere. Quapropter vocavit ipsum, et delato ipsi, prælitique juramento de dicenda veritate, charitable et serio ipsum admonuit, quod quantum apud iudicem, certum et indubitatum sit, ipsum esse reum furti monilium et calicum, tamen conclusum fuerit hoc scire ex proprio ore rei, det ergo gloriam Deo, et dicat sincere, quare furatus sit præfata. Resp. Jam dixi me esse innocentem.

» Dein rursus fuit monitus, ut sponte fateretur veritatem, alias per torturam cogeretur ad fatendum. Resp. In nomine Domini; incipiant mecum, quidquid velint: ego sum innocens, et vindicabit Deus, si innocentem hominem torquebunt.

» Videns autem A. R. P. provincialis, quod veritas aliter quam confessione ipsius haberi non posset, reus vero in pertinaci negatione permaneret, decrevit, prout de facto decernit, reum juxta vota proborum et peritorum, ut supra, torquere, ita ut nudatus, et manibus ligatus a duobus fratribus laicis virgis acutis graviter, toties, quoties ei visum fuerit, caederetur: ubi tamen protestatus est, hanc torturam fieri absque præjudicio jam probatorum, aut confessatorum ad solum finem habendi veritatem super cæteris; et hoc decretum in facie ipsius rei lectum, et intimatum fuit die, mense, anno, loco. — Ego fr. N. assessor. Ego fr. N. assessor. Ego fr. N. minister provincialis. Ego fr. N. actuarius.»

479. *Modus torquendi reum.*

« Pro decreti executione vocati sunt fr. N. et fr. N. laici, qui ex mandato A. R. P. provincialis duxerunt reum ad cameram N. tanquam locum pro tortura electum, et spoliaverunt eum usque ad femoralia, manusque illius ligarunt; sub spoliatione autem non cessavit A. R. P. provincialis charitable monere, ut fateretur veritatem, et sincere dicat, quare, et quomodo furatus fuerit monilia Beatæ Virginis Mariæ, et calices; adhuc esse tempus evadendi tormenta. Resp. reus: Jam dixi; non possum aliter respondere, patiar innocens propter Deum, qui propter me graviora passus est innocens.

» Postquam spoliatus, et ligatus fuerat, jussit A. R. P. provincialis laicos, ut arriperent virgas. Reo autem dixit: Jam ultimo moneo te ipsum verbis, ut fatearis veritatem; postea incipient verbera. Resp. Jam dixi veritatem, et propter veritatem volo pati, nolo enim mentiri.

» Tunc mandavit A. R. P. provincialis, ut incipiant valide percutere, donec juberet cessare, interponendo spatium dimidiæ Ave Maria inter unum et alium ictum; quod et fecerunt, numerante interim A. R. P. provinciali ictus in secreto per globulos rosarii sui.

» Ad primum statim validum ictum exclamavit: O injustitia!

» Pergentibus autem fratribus percutere, rursus exclamavit : O crudelitas injusta !

» A. R. P. provincialis vero interea continuo varie exhortatus est reum ad fatendam veritatem. Resp. Etiam si occidant me, non possum aliter dicere ! O juste Deus ! adjuva me, et vindica hanc injustitiam.

» Finitis decem ictibus præcepit laicis, ut cessarent ad aliquod intervallum, reum vero alloquens ait : Videat charissime fr. Mævi ! qualiter existat diaboli mancipium, qualiter suis perjuriis cruciet animam et corpus : vult vitare pœnas temporales, et conciliat sibi æternas, ipsasque temporales augebit ; quo magis enim perjuriam multiplicabit, eo magis augebit pœnas per sententiam inferendas, et eo gravius adhuc torquetur. Dicat ergo, et fateatur veritatem.

» Resp. reus : Amore Dei, ergo nondum satis sæviit in me ? adhuc semel tam crudeliter tractabunt me ?

» A. R. P. provincialis : Utique non tantum semel, sed sæpius adhuc, et semper severius ita excipietur virgis hisce, donec fateatur veritatem.

» Resp. Non possum aliter respondere.

» Tunc mandatum est fratribus laicis, ut denuo inciperent, et validius quam prius ictus facerent, vix autem unus primum percussit ictum, statim clamavit reus dicens : Cesset, non possum amplius pati, volo itaque cuncta fateri.

» Dictum est ei, ut incipiat fateri, postea illico cessabitur : cum autem tergiversaretur, alter etiam percussit ; reus autem rursus clamavit : Cessate ; fateor me furatum fuisse calices et monilia.

» Tunc mandavit A. R. P. provincialis, ut cessarent. Ad reum autem conversus ait : Laudetur Deus, quod tandem aliquando incipiat sapere, et desinat Deum tot perjuriis offendere, etc. Dicat ergo, quare, et quomodo furatus sit ? Resp. Rogo per amorem Dei pro meo habitu, et omnia dicam.

» A. R. P. provincialis ei statim gratificavit, et permisit habitum : quo indutus reus in genua prævolutus inter copiosas lacrymas rogavit veniam de tot mendaciis et perjuriis huc usque factis : Fui deceptus a diabolo, et putavi, quod, cum unicus testis, videlicet fr. Justus, sciret meum delictum, et consequenter plene probare non posset, vellem cuncta negare, et negando evadere pœnas. Sed fateor, prohi dolor ! me tam monilia quam calices furatum fuisse.

» Interrogatus : Quomodo potuerit furari ? Resp. Maledicta clavis regia serviebat ad hoc.

» Interrog. Unde habuerit hanc clavem regiam ? Resp. Magister N. mihi eam fecit.

» Interrog. Quando perpetravit hoc furtum ? Resp. Die N. de nocte circa horam duodecimam.

» Interrog. Quare furatus sit ista ? Non libenter dico.

» Tunc A. R. P. provincialis ipsum adhortatus est, ut sincera fateretur, fore enim, ut per humilem confessionem, et spontaneam sui confusionem Deum (cui alias jam cuncta sunt cognita) sit aequaliter placaturus, et veniam toti scelerum impetraturus. Resp. In nomine Domini, propter Deum ergo fatebor : Volui, prohi dolor ! apostatare, et cum Bibiana discedere ; prius autem per res furtivas pretio vendendas, tot media procurare, ut inde commode possemus vivere.

» Interrog. An propterea alia adhuc furatus sit ? Resp. Ita.

» Interrog. Quæ ? Resp. Etc., etc.

» Interrog. Ubinam habeat modo res furtivas omnes ? Resp. Partim misi, partim portavi ad Bibianam.

» Interrog. De sociis criminis ? Resp. Sum solus in hoc, quia nulli fidebam.

» Et quia hora erat tarda, fit clausula, et subscriptio, ut supra n. 382. — Ego fr. Mævius depono ut supra. Ego fr. N. assessor. Ego fr. N. assessor. Ego fr. minister provincialis. Ego fr. N. actuarius. »

480. *Confessio in tortura facta, ut probet, debet altera die in banco juris ratificari, et quomodo ? Bancus juris, quid ?*

« Notandum hic, quod confessio, quam reus occasione torture facit, non probet ad pœnam ordinariam rei, nisi altera die extra locum torture, et absque vinculis in banco juris id est, ubi tribunal erexit iudex, denuo cuncta, quæ ei ab actuario præleguntur ratificet. Hinc sequenti die rursus vocatur, examinatur, reus, ut sequitur.

» Anno, mense, die, loco, coram A. R. P. provinciali, et RR. PP. assessoribus ac me infra scripto, fr. Mævius reus, vinculis solutis, et extra locum torture torum positus, vocatus fuit ad ratificandum ea, quæ heri in tortura deposuit, prout supra in actis : cui, postquam de dicenda veritate juravit, clara et intelligibili voce prælegi suam depositionem. . . Qua audita

» Interrogatus fuit 1. An modo bene audiverit, et intellexerit id, quod heri confessus erat ? Resp. Ita.

» 2. Interrog. An sint omnia vera, quæ tunc dixit ? an ea ratificet, et an revera commiserit illa delicta, quæ confessus erat ? Resp. Sunt omnia vera ; prohi dolor ! et utinam non essent vera.

» 3. Interrog. An libere ac sponte, vel potius ex metu ulterioris torture præfata crimina confiteatur, et ratificet ? Resp. Coactus a veritate et timore Dei confiteor.

» 4. Interrog. An confessioni huic ratificatæ vellet addere aliquid, vel minuere, vel quid aliud proponere ? Resp. Nihil habeo dicere, quam ut pro clementia et misericordia humillime rogem.

» Tunc A. R. P. provincialis acceptatis, si, et in quantum depositionibus rei ratificatis, examen terminavit, et reum ad carcerem reduci mandavit, simulque decrevit, ut patrono daretur copia confessionis ratificatæ, et constitutorum, necnon impugnationis, et defensionum ab accusatore oblatarum, assignato termino trium dierum ad producenda jura, quare non debeat reus condemnari ad pœnam ordinariam. In quorum fidem, etc. — Ego fr. N. minister provincialis. Ego fr. N. assessor. Ego fr. N. assessor. Ego fr. Mævius confirmo ut supra. Ego fr. N. actuarius. »

481. *Ratificatione facta datur patrono copia examinis cum termino respondendi, quare non debeat ad pœnam ordinariam condemnari. — Finito examine datur patrono copia confessionis et constitutorum conformiter decreto.*

« Die, mense, anno, loco, per me actuarium fr. Justiniano consignata fuit copia confessionis a reo ratificatæ, et intimatum decretum iudicis, ut intra triduum defensiones præstaret, qui gratias agens terminum acceptavit, reservato sibi jure petendi legitimas dilationes, si opus fuerit ; in quorum fidem, etc. — Ego fr. Justinianus patronus. Ego fr. N. actuarius. »

Si postea intra terminum assignatum patronus nil amplius proponit, vel solum dicit, quod se clementiæ iudicis committat, uti fit, si reus in et post torturam confitetur delictum, registratur in actis, et servatis servandis proceditur ad sententiam.

482. *Si expediens videbitur, communicatur*

patroni defensio actori, vel advocato fiscali pro responsione, hæc vero iterum et ultimo patrono. Horum praxis. — Si vero post torturam novas defensiones, novaque jura allegat, debent ea pro responsione communicari accusatori, vel (si ex mero officio processus fit) advocato fiscali, et hujus responsio denuo communicari patrono, ut ultimate respondeat : quæ tamen breviter fieri possunt, v. g. si patronus post ratificatam confessionem in tortura factam ita patrocinaretur.

« Die, mense, anno, loco, comparet fr. N. patronus, etc., et dicit, quod quamvis multa haberet contra suarum defensionum impugnationem ab accusatore factam nihilominus, quia reus modo cuncta delicta sponte confessus est ; nil amplius proponere habeat, nisi hoc unicum, quod hoc ipso, quia reus sua delicta sponte confessus est, mitius, et consequenter non ordinaria, sed extraordinaria pœna afficiendus sit, cum juxta municipalia et communia jura sponte confessus mitius puniri debeat, arg. can. *Presbyterum*, 3, et can. *De his*, 38, dist. 50, et l. 1. c. *Quæ appellat. non recipiend.* Ita, et omni meliori modo, etc. — Ego fr. Justinianus patronus. »

Posset actor, vel advocatus fiscalis breviter etiam oretenus coram iudice ita respondere.

« Multa illa, quæ patronus contra meam impugnationem habere se dicit, paucis, juvante Deo, et justitia refutare sperarem. Ad id, quod de novo producit, videlicet, suum principalem, utpote sponte confessum esse mitius, consequenter, non ordinaria, sed extraordinaria pœna afficiendum per jura a se allegata. Resp. breviter, reum Fr. Mævium neutiquam annumerari posse sponte confessis, de quibus jura allegata ; siquidem hæc solum illos sponte confessos mitius puniri volunt, qui vel ante recusationem, aut inquisitionem se ipsos produnt, et humiliant, prout cum Glossa et aliis vult Abbas, in c. *de Hoc, de Simonia*, n. 8. Vel qui præcedente accusatione, aut inquisitione citati, in primo examine interrogati statim sine ulla negatione delictum fatentur, ut docet Farinacius, in *Praxi*, q. 8, n. 177, et alii. Vel si omnino favorabiliter loqui velimus, qui in primo examine, seu constituto negavit, in secundo, vel saltem tertio con-

fitetur, ut videre est apud Ludovicum de Ameno, in *Pract. criminal.* tit. *Reus*, 11, a n. 58. Neutiquam autem si etiam in tertio constitutio neget, decreta, et minas tormentorum expectet; et multo minus, qui ipsa tormenta sustinere incipit, prout repetitis, ac deliberatissimis cum perjuriis malitiosissime fecit Fr. Mævius testibus actis, qui propterea non tantum mitius, sed gravius poena ordinaria merito puniendus venit. Ita et omni meliori, etc. » — Fr. Titius accusator.

Ad hanc vero impugnationem utpote sat claram patrono communicatam, is, et quidem ultimo respondere posset.

« Remitte me in cunctis iudicio et clementiæ iudicis, etc. » — Ego Fr. Justinianus patronus.

Quod si reus in banco juris constitutus iterum negaret, quæ pridie in tortura confessus est, posset ac deberet denuo torqueri. De quo vide Ludovicum de Ameno, in *Formul. criminal.* sect. 7, n. 37.

DE SENTENTIA, ET OBSERVANDIS, FACIENDISQUE ANTE ILLAM.

483. *Breviter recapitulando recensentur, quæ fieri debeant ante sententiam.* — Constat jam ex dictis, quod finito benigno, id est, sine tortura facto examine rei debeant I. Reo offerri defensionibus, cum assignatione termini juxta dicta a n. 441.

II. Si reus non acceptat, sed forsitan jam convictus vel confessus eis plene renuntiat, negotium et processus brevi finitur; potest enim dein statim deveniri ad sententiam, præmissa tamen citatione juxta dicta n. 441, et dicenda infra.

III. Si reus defensiones per patronum oblatas acceptas, debent et concedi patronus, quem sibi elegerit, et petenti etiam communicari copia actorum, etsi jam confessus, vel convictus esset, juxta dicta a n. 441.

IV. Debent interrogatoria, articuli, et defensiones patroni acceptari, et processus defensivus juxta dicta a n. 450.

V. Debent defensiones oblatae communicari actori, vel si processus ex mero officio iudicis inquirentis instituitur, advocato fiscali, et responsio ac impugnatio illius expectari.

VI. Habitis defensionibus rei, et responsione actoris vel advocati fiscali ad eos data, examinantur cuncta acta ab iis, quorum est judicare (apud nos sunt patres de V. diffinitorio, quibus communicantur acta) et videre, an reus torqueri, vel sine tortura sententia ferri possit, ac debeat.

VII. Si apparet, quod sententia absque tortura ferri debeat, quia forsitan reus ex actis jam habetur confessus, vel convictus; vel quia ex alia ratione tortura omittenda judicatur, communicatur patrono defensio, et impugnatio ab actore, vel advocato fiscali facta, et datur ei terminus ad replicandum; replicatione autem illius accepta, fertur sententia, nisi talia nova specialia a patrono essent proposita, ut necessarium videretur iudici, illa ad refutandum communicare actori, vel advocato fiscali.

VIII. Si vero consideratis considerandis videtur adhibenda tortura, decernitur illa, et fit, juxta dicta a n. 474.

IX. Finita tortura communicatur nova rei depositio patrono illius. Et hujus nova defensio, actori (si necesse videtur) istius vero depositio rursus patrono, ac postea fit sententia juxta dicenda a n. 484.

X. Si completis cunctis his defensionibus, et responsionibus apparet, quod reus per defensiones suas ita evacuaverit indicia et probationes processus offensivi, ut crimen nec semiplene quidem existat probatum, debet accusator, vel denunciator condemnari ad poenas calumniæ (et apud nos etiam falsionis) ita tamen, ut ante sententiam citetur ad dicendum, quare non debeat condemnari ad dictas poenas, pro quo in citationis decreto assignatur ei terminus, intra quem defendere se potest. De quo vide formulam apud Ludovicum de Ameno, in *Formul. criminal.* sect. 8, n. 3. Nos hic damus dictorum formulas practicas pro casu nostro.

484. *Citatio rei ad audiendam sententiam est de substantia processus.* — XI. Quando autem ex actis apparet, reum esse confessum, vel convictum, vel crimen saltem semiplene, aut plus quam semiplene probatum, citantur tam actor, quam reus ad audiendam sententiam certa die in decreto citationis exprimenda faciendam. Ubi specialiter notandum, quod hæc citatio rei ad audiendam sententiam sit de substantia processus.

485. *Citatio oretenus fieri potest, si reus et actor sunt præsentibus: si sunt absentes per de-*

putatum fit in præsentia testium. — Citatio tam rei, quam actoris oretenus, vel in scriptis, et per quemcumque ad hoc deputatum fieri potest. Et quidem, si reus et actor sunt præsentibus, expedit, ut statim oretenus citentur; citatio facta actis inseratur. Si autem reus est absens (prout plerumque fit, hoc ipso, quod fabricato processu non statim feratur sententia, sed acta prius communicentur aliis (apud nos diffinitorio) ut cuncta bene ponderent, an, et qualiter delictum sit probatum, qualiter condemnari vel absolvi possit ac debeat reus, vel accusator; interea autem iudex tandiu non maneat in loco, in quo reus, et accusator existit) commodius est, si det alicui commissionem, ut nomine ejusdem in præsentia testium citet, aut citationem scriptam consignet, et, quod factum est, referat. In nostro casu res ita fieri potest.

486. *Forma hujus citationis. Non est necesse, ut reus vel actor intersint sententiæ, dum fertur, nisi jam essent in loco.*

« Postquam A. R. P. provincialis acta jam completa prius a se bene perpensa AA. RR. et RR. patribus de diffinitorio communicavit, et quibus eorum consideratis considerandis ac probe cognitis meritis causæ votum suum de sententia ferenda manifestavit, idem decrevit, prout præsentis decreto decernit, ut citentur Fr. Titius N. accusator, et Fr. Mævius reus, illiusque advocatus ad audiendam sententiam die, mensis, ferendam, et promulgandam in conventu nostro N. Et quoniam citandi ita absentes distant, ut ad locum ferendæ sententiæ personaliter venire ob certas causas commode non possint, decrevit idem A. R. P. provincialis eisdem sententiam, postquam lata fuerit, et promulgata in præfato conventu N. publicare per P. N. per quem etiam eosdem in præsentia duorum testium nunc citari vult ad audiendam sententiam. Acta sunt hæc die, etc. »

Notandum, non esse necesse, ut reus, vel actor sint præsentibus in loco, ubi fertur sententia, dummodo eis postea promulgetur; si tamen jam existunt in monasterio, ubi fertur, omnino convenit, ut personaliter intersint, dum fertur, et promulgetur sententia.

Postquam citatio est facta, fit relatio illius, et inseritur actis.

« Anno, mense, die, missa in scriptis fuit relatio citationis factæ, sequentis tenoris. Nos infra scripti testamur, quod per P. N. nomine A. R. P. provincialis ad audiendam sententiam definitivam die, ferendam citati fuerint Fr. Titius N. accusator, et Fr. Mævius N. ejusque patronus Fr. Justinianus N. In quorum fidem, etc. » — Ego Fr. N. citavi. Ego Fr. N. interfui. Ego Fr. N. fui præsens. Ego Fr. N. actuarius.

Si post factam citationem accusator, vel reus adhuc aliquid proponit, debet illud iudex bene perpendere, et, prout æquum videtur, admittere, vel rejicere, et sententiam die determinata ferre.

487. *Recensentur plura necessario requisita, et observanda circa ferendam sententiam.* — Porro circa sententiam ferendam plura observanda habet iudex. Primo, quod ferri debeat juxta causæ merita ex actis habita, et consequenter debet esse absolutoria, si reus invenitur innocens: vel condemnatoria, si reperitur nocens; vel partim condemnatoria, partim absolutoria, si quoad aliqua nocens, ad aliqua innocens dignoscitur.

488. Secundo. Nullus condemnari potest ad poenam ordinariam, nisi ex actis appareat confessus vel convictus, vel utrumque.

Tertio. Potest aliquis condemnari ad poenam ordinariam, etiamsi non sit confessus, dummodo plene et rite convictus, v. g. per duos testes omni exceptione majores, vel alia media plenam probationem facientia.

489. Quarto, quando reus confessus, vel convictus est, debet necessario condemnari ad omnem, et solam poenitentiam ordinariam, id est, a sacris canonibus et constitutionibus ordinis sancitam, nisi causa aliqua minnendi, vel augendi poenam ordinariam adsit, quæ causa necessario exprimi debet in sententia, si ab ea poena ordinaria augetur, vel minuitur. Nec enim potest iudex regularis dispensare in lege communi, neque in statutis ordinis, prout circa poenas practica nostra criminalis expresse ordinat tit. VI, *Applicatio poenarum*, § fin. ibi: « Ut licet poenas has per statuta generalia impositas iudex commutare, alterare, et moderare regulariter non possit, tamen in aliquo casu mutatis circumstantiis, et qualitatibus, cum consilio patrum, qui ad ferendam sententiam concurrunt, poterit augere, vel minuire lenitatem, vel rigorem poenarum,